

III. 1187, Juli 31, Ascoli. König Heinrich VI. nimmt das Kloster S. Angelo zu Ascoli in seinen Schutz.

St. 4616. Original in der Biblioteca municipale zu Ascoli. (S. Angelo Nr. 18.)

Heinricus sextus divina favente clementia Romanorum rex et semper augustus. Cum omnes ecclesiasticas et religiosas personas ex officio regie dignitatis protegere ac defensare teneamur, precipue tamen sexum fragilem divinis obsequiis mancipatum specialiori benignitate manutenere ab infestantium importunitate decrevimus et tranquillam ipsi pacem regali clementia providere. Quapropter notum sit universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris, quod nos pro remedio peccatorum nostrorum et salute anime nostre monasterium sancti Angeli de Esculo, Amelgardam abbatissam et sanctimoniales in ipso monasterio divino servitio mancipatas seu in posterum mancipandas, cum omnibus hominibus, bonis ac possessionibus, quas nunc iuste habent in civitate vel communitate Esculana, in civitate vel communitate Firmana, in districtu Farfensis abbacie seu in quocunque alio loco, et quas in futuro rationabiliter adipisci poterunt, in nostram recepimus protectionem, statuantes et regia auctoritate precipientes, ut de cetero nullus archiepiscopus, episcopus, abbas, nullus dux, marchio, comes, nulla civitas, nullus consul, nullum commune, nulla potestas, nulla denique humilis vel alta, secularis vel ecclesiastica persona predictum monasterium, abbatissam, sanctimoniales, in hominibus, bonis seu possessionibus suis gravare audeat, aut ullas eis vel clericis monasterii iniustas exactiones imponere vel quibuscumque iniuriarum calumpniis molestare. Quod qui facere presumpserit, pena decem librarum auri plectatur, quarum medietas camere nostre assignetur, reliqua iniuriam passis. Datum Esculi anno dominice incarnationis M^o C^o LXXXVII^o, indictione quinta, II. Kal. Augusti, presentibus Renaldo episcopo Esculano et Berardo archidiacono, Gualfredo iudice et aliis quampluribus.

‘Heinricus sextus’ ist in etwas verlängerten Zügen geschrieben; das Datum schliesst unmittelbar an den Text; für *ae* stets *e*, nie *ē*. Das Siegel ist abgerissen.

IV. 1191, Juni 3, bei Neapel. Kaiser Heinrich VI. erlässt in Gemeinschaft mit seiner Gemahlin Constanze den Beneventanern die ‘Fidentien’ genannten Abgaben und verleiht ihnen Holz- und Weidgerechtigkeiten im Domanialwald.

St. 4702. Notarielle Copie des Beneventaner Notars Rogerius de Sabbarano ohne Jahr über das ‘privilegium imperiale aurea bulla munitum’ im Archivio municipale zu Benevent.

In nomine sancte et individue trinitatis. Herricus (!) sextus divina favente clemencia Romanorum imperator et semper